



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis  
Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Qu[a]estio 96. An Ep[iscopu]s & Inquisitor dispensare possint cu[m]  
condemnato ad carcere[m], & alias poenas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

perpetuo configetur, ut una possint commodius habitare: quamvis hoc videatur prohibere concilium Biterense. c. relatum, supra in hac 3. par. super modo processum fidei terminandi. §. præterea quæ de difficultate, sed in hoc consulo supremo inquisitionis Senatu putarem facile fore dispensandum. & hic potest esse quartus casus in quo pana perpetui carceris ab heretico redeunte erit: quamvis proprie loquendo hoc casu non dicatur pena remissio, sed potius in aliam commutatio.

## Q V A E S T I O X C I I I .

Hæreticus cōdemnatus ad perpetuum carcerem sit ne degradandus, si clericus fuerit, &c.

**N** Onagesima quarta quæstio est: Vtū Episcoporum taliter deprehensum in heretica prauitate penitentem & abiurantem ab solutum, & per eum & Inquisitorem carceri perpetuo condemnatum, teneantur in antea si clericus fuerit, vel religiosus in sacris ordinibus constitutus, degradare?

Relat. supra pag. 104.  
Responsum quod sic; iuxta c. Quoniam Episcoporum de heret. lib. 6. ubi dicitur sic: Quoniam Episcoporum numerus ad degradationem clericorum à canonibus constitutus non potest defaciли conuenire; cōcedimus, vt sacerdotem, vel aliū clericum in sacris ordinibus constitutum (cum pro heretico fuerit curia seculari relinquendus, aut perpetuo immurandus) convocatis abbatibus, alijque prælatis & religiosis personis, ac litteratis sua diecessis, de quibus expedire videbitur; suus solus poslit Episcopus degradare.

Nec facias differentiam inter carcerem, & murum, vt videtur facere Archid. nam pro eodem sumitur in c. Excoicamus. ultimo. & hic, & in c. Vt commisi. uer. & illorum. & in c. Accusatus. in fi.

## C O M M E N T . C X L I I I .

**A**ffirmate concludit in hac quæstione Eymericus, clericum ab heresi reuerentem, si in perpetuum carcerem fuerit derrudendus prius fore degradandum, eandem sententiam professus fuit supra in hac 3. parte in decimo modo processum fidei terminandi, n. 202. quo loco abunde hunc articulum tractavimus. additum Arnaldum Albertinum in c. quoniam. de heret. lib. 6. num. 55.

## Q V A E S T I O X C V .

An heretico penitenti, preter penam carceris, aliqua salutaris penitentia imponi debeat.

**N** Onagesima quinta quæstio est: Vtum Episcopus & Inquisitor taliter deprehenso in heretica prauitate, abiurato, absoluto ab excommunicationis sententia, degradato, & ad carcerem perpetuum condemnato, teneatur iniungere adhuc aliam pe-

A nitentiam salutarem? Relpōdemus quod sic: pater in c. Vtificij, circa prīm. de heret. lib. 6. ubi præmisso de hereticis credentibus, receptoribus, fautoribus, & defensoribus eorum, sequitur sic: Si vero aliquis ex prædictis heretica labe primis abiurata, edite uoluerit ad ecclæsiæ unitatē: ei iuxta formam ecclæsicæ absolutionis beneficium inpendatis, & iniungatis eidem, quod iungi talibus confuerit.

Confuevit autem iniungi eis, quod crucis defrantante & retro: & quod stent in valuis ecclesiærum certis diebus. Dominicis & festis, & quod crucietur pane angustia, & aqua doloris; vt supra patuit in hac tercia parte, vbi agitur quomodo processus fidei sine debito terminentur: & agitur de sententijs fertendis contra tales.

## C O M M E N T . C X L I I I .

**V** Na est & vera conclusio in hac quæstione, videlicet heretico redeunti: præter carceris perpetui panam, cateras de quibus hic iniungendas esse alias penitentias salutares, quales autem penitentia imponi debeant, docuit an̄tor supra modis processum fidei terminandi, sed in primis sexto & octavo modo.

Huiusmodi autem penitentia iniungantur relevantibus ad heres, tam vt per eas satisfaciant debito, quod per culpam contraxerunt: tam, n. appareat, an sint vere penitentes, an fidei concuersi: postremo, vt cum eas peragunt, recordentur delicti contra fidem commissi, & illud detestantur, ac defleant.

Iam in his penitentijs imponendis quid obseruandum sit luculenter docet Zanchinus trahit de heret. c. 20. nam & personarum qualitas inspicenda est: & ratio cuius majoris vel minoris habenda quoq; est: & postremo talis penitentia iniungenda est, quam verisimiliter credant indices fidei apenitentibus fore peragendas, non deferendas, cap. penitentes. 50. distin. addit. que diximus paulo ante super quæst. 91.

Q V A E S T I O X C V I .  
An Episcopus & Inquisitor dispelare possint cum condemnato ad carcerem, & ad alias penas.

**N** Onagesima sexta quæstio est: Vtum Episcopus & Inquisitor cum tali ad carcerem perpetuum, & alias condemnato, postmodum ualeant dispensare?

Respondemus qd sic, ut patet in c. ut commissi. uer. & illorum. de heret. lib. 6. ubi sic dicitur: & illorum, qui uestris mandatis obedientes, humiliati sunt propter heresim in carcere, uel muto reclusi, penitentiam una cum prælatis, quorum iurisdictioni sub sunt, mitigandi, vel mutandi, cum uidentur expedire: & infra: plenam concedimus facultatem.

## C O M M E N T . C X L .

In hac quæstione id solum est obseruandum, quod Episcopum & Inquisitorem posse dispensare in carcere perpetuo. cetero quod iure communis ei competit, per textum hoc loco citatum ex cap. vt commissi. de heret. lib. 6. & hodie hoc iure r̄timur, excepto quod prædictis la- quisito-

quisitōribus Hispania id non licet inconsulto generali inquisitore eorum regnorum, ut indicat Si-  
mancas de catbo. inst. tit. 16 num. 20.

Iam intra quantum tempus fieri possit dispensa-  
tio super carceris perpetui pœna, hic erat dicen-  
dū, nisi copiosè tradidissent supra in hac 3. parte,  
super quæstione 59. s. postremo, de cōmutatione.

## Q V A E S T I O X C V I I .

An Episcopus & Inquisitor procedere  
queant contra non perficientes  
iniunctas pœnitentias, &c.

**N**onagesima septima quæstio est: Vtrū Episcopus, & Inquisitor possint procedere contra talem ad carcerē condenatum, & alias pœnitentiarum, tanquam contra impenitentem, vel

relapsum, si iniunctas sibi pœnitentias violauit, seu aufugit de carcere, ad quem fuerat condemnatus?

Respondemus quod sic, nam non sunt functi officio suo (vt quibusdam uidetur) quia tales abso-  
lutos à sententia excommunicatiois carceri tra-

dere, ut alios non inficiant, & ut de culpis suis

pœnitent, & vt uideatur an ambulent in tenebris

vel in luce, & alijs pœnitentij onerare, nō est sen-  
tentiam contra eos ferre, sed pœnitentiam eis in-  
iungere: est enim pœnitentia salutaris iniunctio,

& non sententia iudicatiæ impositio, ut patet in

c. Excommunicamus ultimo de hæret. quare du-  
rat, & perpetuat in talibus Episcoporum, & In-

quisitorum iurisdictione. Quod patet: quia ut dici-  
tur in c. Ut commissi & dictum est supra quæst.

proxima, etiam post pœnitentiam illam seu sen-  
tentiam, largo nomine sententia, possunt mitigate-

, & mutare pœnam, quando eis uisum fuerit:

Possunt igitur procedere contra tales, huiusmodi

iniunctas sibi pœnitentias uolantes, & carceres

fugientes: ita quod si legitimam excusatione non

probauerint, sunt ut impenitentes hæretici con-  
demnandi. Nam præsumitur ficta conuetio, &

simulata, & materia ueteris erroris recondita. Ad-  
hoc de pœn. dist. 2. c. 1. Nam exitus acta probat. 22.

q. 2. Quod autem ait, & precedentia per sequen-  
tia comprobantur, ostendunt igitur excessum uer-  
teré placuisse. arg. 34. q. 2. c. Cū per bellac. Et

bis concordat Arch. in c. Ut cōmissi. §. Et illorum.

& uer. in carcere. & Guido Fulc. prædictus in 13.  
q. de illis 15. quæstio. quas fecit ad Inquisidores.

## C O M M E N T . C X L V I .

**V**num est potissimum axioma, videlicet Pos-  
se Inquisidores procedere contra nō perficien-  
tes iniunctas pœnitentias, seu contra fugientes è

carceribus, ad quos fuerant dammati.

Super hac quæstionem tres potissimum difficulta-  
tes à nobis sunt disceptandæ. Prima est: An inqui-  
sidores habeant iurisdictionem super pœnitentes,  
postquam semel eis pœnitentias iniunxerunt, &  
ad gremium Ecclesiæ receptorunt, & qualis &  
quanta ea iurisdictione sit.

Altera est: An fugientes è carceribus in quos de-

A truis fuerat nō ad custodiā, sed ad penitentiā per-  
agendā, & in penā sint censendi relapsi vel impeni-  
tentes, ac velut tales curia sculari sint tradendi.

Tertia & postrema est: An illi, qui nō adimplēt  
quæcumque alias penitentias, quas cum reuerteren-  
tur ab hæresi, & ad gremium Ecclesiæ recepti fue-  
rūt, promiserunt adimplere, sint indicandi relapsi.

**Q**uantum ad primā quæstionem spectat, bisaria possumus eam disputare. Primum, an panitentes in solis criminibus hæresi, vel hæresim sapientibus remaneant Inquisitori subiecti. Secundo an non modo in his delictis, verum in alijs, que ab hæresi sunt distincta & separata, veluti homicidijs, furtis, vulneribus illatis, iniurijs factis, & alijs huicmodi, que nihil cum hæresi habent commune, re-  
maneant quoque, dum iniunctis pœnitentias per-

agendis insistunt, ita Inquisitoribus subiecti, ut ab alijs iudicib. nequeant iudicari, sed etiam his casib. Inquisidores habeant super eos iurisdictionem.

**E**t quantum ad primam huius quæstionis par-  
tem attinet, Eymerici & vera & communis sen-  
tentia est, eos qui agunt pœnitentias iniunctas ob  
hæresi crimen commissum durante pœnitentia  
tempore ad iurisdictionem Inquisitorum pertine-  
re, Inquisidoresq; procedere posse contra violan-  
tes pœnitentias, & è carceribus fugientes.

**C**Hanc quæstionem primus (quod ego sciā) disputa-  
uit Guido Fulcodius hic ab auctore citatus, quem  
securus est per omnia Archidiaconus in e. vt com-  
missi. verbo, in carcere de heret. lib. 6. à quib. nus-  
quam discedit Eymericus huc loco tradit etiam  
Zanchinus tract. de heret. cap. 10. nn. 5. & alijs.

Horum ratio potissima illa est, quam hic tradit  
auctoꝝ, videlicet propere in his durare Inquisitorum iurisdictionem: quoniam nondum videntur  
functi officio suo, cum impositio pœnitentialis pœ-  
na, non videatur sententia diffinitiva, sed potius inter-  
locutoria: unde cum ab id iurisdictione Inquisitoris  
non cessauerit, non mirum si adhuc possit agere  
contra violantes pœnitentias.

Sane superior sententia verissima est: ratio tamē  
fortassis vera non est: nam sententia reconciliatio-  
nis magis diffinitiva est quam interlocutoria, cum  
finē cause imponat per absolutionē et cōdemnatio-  
ne. dura ergo Inquisitorū iurisdictione contra vio-  
lantes iniunctas pœnitentias: quia male sentire vi-  
detur de fide, cum nō adimplēat id, ad quod se folē-  
ni iure iurando obligarunt. sed hac parte omissa, in  
qua nō est grandis difficultas, pergamus ad reliqua.

In altera ergo quæstionis parte granior et obscu-  
rior occurrit dubitatio, & Hostiensis in sum. tit. de  
foro competen. Augustinus Berous in c. de his. ex-  
tra de accusatio. Repertorium Inquisitorum ver-  
bo, pœnitentia §. nota quod publice pœnitentes.  
Antonius Butrius in cap. 2. de foro competen. &  
alij nonnulli qui hos sequuntur, indistincte afferere  
videtur, hos publice pœnitentes, etiam si laici sint,  
ob alia crimina nec puniri nec ad punitionem capi,  
nec ad secularem carcerē mitti posse, nec condem-  
nari etiam ciuiliter per iudicem sculariem; sed re-  
manere in omnibus sub iurisdictione indicis ecclie-  
siastici, sicut & alias ecclieasticas personas.

Huius opinionis potissimum fundamentū utrum

an pœnitent-  
tes remaneat  
Inquisito-  
bus subiecti,  
& qualiter.

Inquisitorū  
iurisdictione  
durat contra  
pœnitentes  
violantes pœ-  
nitentias ini-  
unctas.

Sententia re-  
conciliatio-  
nis diffiniti-  
ua est potius  
quam inter-  
locutoria.

Pœnitentes  
in omnibus  
causis Inqui-  
sitoribus re-  
manere su-  
bicatos ga-  
feruerint.